DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

HYDATIDUM

NATURA, CAUSIS, EFFECTIBUS, ET CURA.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

HYDATIDUM

NATURA, CAUSIS, EFFECTIBUS, ET CURA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI Conſenſu, et Nobiliſſimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO

GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

CAROLUS RATTRAY,

ANGLUS:

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOC.

Ad diem 24. Junii, horâ locoque ſolitis.

Animatum quod eſt motu cietur ſuo.

CICERO, *Tuſc.* i. 23.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

MDCCC.

PATRI,

ET

AVUNCULIS,

PRO

AMORE ET CONSILIIS,

SACRUM

VULT

AUCTOR.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

HYDATIDUM

NATURA, CAUSIS, EFFECTIBUS, ET CURA.

REputanti quodnam diſputatiunculæ argumentum ſeligerem, hydatidum natura, cauſæ, effectus, et auxilia, quippe res medicorum attentione digna et nimis forſan hactenus neglecta, præ cæteris mihi arriſit.

CAP. I.

DE NATURA HYDATIDUM.

VERBUM *Hydatis* in diverſas ſententias apud medicos accipitur; quæ renum, placentæ, ovariorumque, hydatides vocantur; eas naturâ cauſisque penitùs diversas, aliasque ab hìs de quibus hìc agitur, inter omnes ferè convenit. Eæ ſubſtantiæ quæ placentæ, ovariorum renumque hydatides nuncupantur, aliud nihil ſunt quàm intimæ quodam horum viſcerum ſubſtantiæ vitium; quod ſacculi humore aquoſo pleni formam induit: hoc vitio increſcente, humor quem ſaccus intus habet, admodum lentus ac tenax, fit; animalis œconomiam haud parum turbat, et tandem dirum hydropem, qui ſaccatus audit, mole ſuâ concitat.

concitat. In hoc vitio, Culleniana hydatidis definitio ſolùm quadrat:

" Cyſtis cuticularis, aqueo humore plenus."

Hæc ſacci, ſeu hydatidis ſpecies ſæpe, in miram molem creſcit. Hydatis autem quam pro opuſculi hujus academici argumento ſelegi, ovi gallinacei magnitudinem rarò excedit; nec aliud quàm veſicula, animalculis, latice pellucido, tenui, et aquoſo, innatantibus, quæ ſpeciem ſuam gignunt, et mirum in modum fœtificant, ſcrutantibus eſſe videtur.

Hydatis cujus naturam exequi conamur, quamvìs, incautiori obſervatori, vitâ et organis manca, videatur, oculatior tamen obſervantia tenebras quæ ejus naturam occuluit, fugâſſe, et vitalitatem ejus in lucem protuliſſe, videtur.

Hydatis

Hydatis modò veſicula ſimplex, pellucidula, apparet; modò ex pluribus veſiculis, racemum referentibus, conſtat; interdum verò eſt ſacculus oblongus, perlucidulus atque membranaceus, qui plures veſiculas parietibus ejus annexas, humoreque aquoſo ſuſpenſas, intùs habet: harum veſicularum magnitudinem, a lapilli luſorii mole, ad talem tenuitatem quæ aciem fugiat, variari, obſervatione conſtat. Si hydatidis naturam ſcalpello ſcruteris, membranulâ duplice, quarum extima vi irritabili inſigni prædita eſt, intima verò villoſam inteſtinorum tunicam refert, veſtitam invenies.

Hydatis major, ut ſuprà narravimus, complures minores, magnitudine diverſas, complectitur; ſi unam ex harum majoribus parente ſacco liberatam rimabere, eandem figuram externam, eandemque fabricam, invenies.

Hydatides

Hydatides colore vario, modò ſuccineo, modò rubicundulo, tinguntur; omniumque, majorum, tùm minorum, figura ſphæroeides eſt.

Doctor HUNTER hydatidis grandioris aquulam microſcopio inſpectam, numeroſas hydatides minutulas innatantes exhibuiſſe narrat: majores, granorum inſtar, quorum diametros $\frac{1}{200}$ pollicis partem æquabat, oculo nudo cerni poſſent; exiguiſſimæ, particulis ſanguinis rubris minores erant: aliæ omni, magnitudine, hanc inter et illam mediâ, præditæ erant.

Idem auctor hydatides *gravidas* (ſic enim vocat) præ cæteris paucas extitiſſe notat: omnesque, in vitæ progreſſu, varias mutationes ſubire credit: increſcunt, fœtificant, intereunt, polypi inſtar prolem numeroſam fovent: fœtus, molli ac villoſæ ſacculi tunicæ annexus primùm

primùm conſpicitur, et paulatim grandeſcens in humore pendulus tandem cerni poteſt : progrediente ætate, fortaſſis ſaccus extremus rumpitur, hydatides incluſas, quæ partibus vicinis adhæreſcere videntur, liberaturas.

Hæc animalcula alias etiam mutationes ſubiiſſe obſervatum eſt. HUNTER duo corpuſcula ad hominis, qui iſchuriâ, hydatidibus natâ, ſubitò mortuus eſt, veſicæ collum offenſa fuiſſe narrat : corpuſcula fabam magnitudine æquantia, et caſei quasi ſpiſſitatem habentia, membranulâ involuta erant. HUNTER num eadem hydatidum reliquiæ ſint interrogat.

Hydatides in omni ferè corporis parte, abdomine, thorace, cranio, imò cerebro, repertæ ſunt : ex variis corporis viis, ſcreatu e pulmone, vomitione e ventriculo, diſſectionibusque e veſica, et alvo emiſſas fuiſſe, obſervatione conſtat.

Nullum

Nullum novi auctorem qui corporis humani hydatides, ſenſu, motu, aut quovis alio vitæ ſigno, præditas eſſe narrat: ratio autem in promptu eſt; corpus enim humanum antè incidi quàm penitùs refrigeat, cunctaque vitæ indicia evaneſcant, neque per leges licet, neque fas finit; iſta igitur animalcula unà cum corpore quo aluntur, vitæ principio orbentur neceſſe eſt: rem igitur ita ſe habere, minimè mirum eſto.

Quò res autem clariùs pateat, animum ad animalium brutorum, ovis nimirùm, hydatides, vertamus. Tyson hydatidi ovillæ hoc cum humana commune eſſe narrat, quòd ambæ in veſicula pellucidula, humore aquoſo, ſeu lympha ſeri inſtar, plena, nidulantur: hydatis autem ovilla hoc diſtat, quòd collo aut tuberculo, cætero corpore opaciore inſtructa ſit, et alter ſeu extremus corporis finis, oſculo, quod ex parte ejus retractâ formari videtur,

tur, et quo humorem veſiculæ ſuæ aut ventriculo imbibit, paratus ſit.

Hydatides ovillæ e jecinore, ſcalpelli ope, affabrè diviſæ, lucernæque ſtatim objectæ, collum osque capitulum clare atque diſtinctè moveri, alternéque produci et contrahi obſervatum fuit: ex parvulo hujus animalculi cautè inciſi collo, duæ filices exiguiſſimæ humori ambienti innatantes conſpiciebantur: Tyson animalculum humorem per hæc tenuia fila e corpore in ventriculum, colli ſui productione haurire opinatur; idque hirudini aut cuidam volvocis ſpeciei, quæ pabulum, corpuſculi ſui magnitudinem æquans, unâ vice exſorbent, haud ineptè componi exiſtimat.

Cel. etiam Bailie, in libro qui de *Anatome Morbida* inſcribitur, hydatides ovillas, etiam a jecinore ſejunctas, vitæ indicia motu ſuo aliquantiſper prodidiſſe refert: Idem anatomicus

cus hydatides in cerebro etiam ovillo, humanæ propè ſimiles, quæ aquæ tepidæ immiſſæ, ultrò citróque, inteſtinorum more ſe movebant, reperiſſe ſe narrat.

Fontana quoque eadem ſe in ovibus comperiſſe, et animalcula veſiculæ internæ annexa vidiſſe, literis mandavit.

Hæc reputanti hydatides ovium, aliorumque animalium, proprias, vermiculorum ſpecies eſſe certè conſtabit: hydatidis quidem ovillæ et humanæ differentias manifeſtas eſſe haud diffiteor; hæc autem difficultas, ea, quæ Hunter, anni 1779 æſtate, de hydatide ovillâ obſervavit, jam dictis conferendo minuitur: quamvis enim animalculorum motum clarè perſpexit, et fabricâ eorum hydatidis humanæ ſtructuram accuratè retulit, fœtusque eorum quoque ſacculo interno adhæſit; nulla tamen oſcula aut capitula, optimo microſcopio adju-

tus licèt, cernere potuit: vitæ autem index, ſi motus illius ſignum habeatur, reverà adfuit: hydatidis igitur ovillæ capitulum, collum et oſculum, haud ſemper, etiam microſcopii ope, perſpici nequeunt: quamvis igitur eadem de hydatide humanâ vera ſint, indè tamen nullis eam iſtiuſmodi organis inſtructam eſſe colligere non licet. Nullus dubito, quin hydatis humana manifeſta vitæ ſigna exhiberet, ſi e ſtirpe, mox poſt mortem humani corporis, ut ovibus a lanio fieri ſolet, recideretur: eandem igitur cuidam animalculorum ſpeciei accenſere non dubito. In quânam polypi aliquandiu mortui parte, caput, cor, aut ventriculus, ſedet, dictu perdifficile foret; cùm illorum viſcerum ſedes, animalculo etiam vivo, vix ac ne vix quidem indicari queant: indè tamen nemo animalculum, infimum licèt et viliſſimum Naturæ opus, vitâ præditum eſſe negaret; imò vis vitalis tenaciſſimum exiſtere novimus.

Meduſa

Meduſa etiam, animantium ſpecies oceano innatans, maſſula exanimis, juri gelato haud abſimilis, videtur: poſito, eandem unum alterumve diem jam mortuam eſſe; nonne notas, quibus eam vixiſſe pro certo cognoſceretur indicare, arduum imò vix poſſibile, foret.

Quamvis igitur Natura hydatidum fabricam adeò obſcurè finxit, atque fabricata eſt, ut neque ſexus, neque organa quibus munera ſua funguntur, ſenſu externo dignoſci queant; eaſdem tamen vi vitali carere, cæcæ præcipitisque temeritatis afferere foret.

CAP.

CAP. II.

DE CAUSIS.

Hydatidum naturâ aſtrictiùs libatâ, ad obſcuriorem rei partem, earum nimirùm originem, cauſasque indagandas, devenio.

Viri celeberrimi Sagar et Sauvages, hydatides aliud nihil qùam venas bibulas, quæ Lymphaticæ vulgò nuncupantur, intumeſcentes, et in varices quaſi converſas, eſſe opinantur. Hæc autem opinio facilè convellitur; ſi enim res ita ſe haberet, fieri ne poſſet ut hydatides e corpore, vaſis, quibus adhærent, quorumque pars ſunt, non diſruptis, expellerentur; nonne peſſimi inde effectus noſcerentur? Contrà, tantùm abeſt, ut æger hydatidum

dum expulſione lædatur, ut inſignem ægritudinis levationem percipiat. Porrò hydatis plures minores, ut crumena, nummos, intùs habet: fieri autem profectò non poteſt, ut venæ bibulæ in novas has formas mutentur.

Qui ſententiam jam dictam tuentur, ii venas bibulas in hydatidem æquè facilè mutari ac arteriæ et venæ in aneuriſmata et varices convertuntur, reſpondere ſolent: iſtiuſmodi autem reſponſa, miram hydatidis fabricæ ignorantiam arguit.

Alia eſt opinio eorum, qui telam corporis celluloſam, inflammatione, alioquive, in hydatides a naturâ ſuâ degenerare ſomniant: hoc autem conceſſo, hydatides ſtirpi ſuæ firmiùs adhæreant neceſſe eſt; neque aliæ, ſuâ quæque veſiculâ involuta, in aliarum viſceribus latitantes increſcerent, vitæque indicia ſubindè proderent.

Boerhaave atque Le Cat morbidas corporis glandulas, in hydatides abire finxerunt; nihil autem hâc opiniatione abſurdius; hydatides enim in corporis partibus quæ glandulis carent, ſæpiùs repertæ fuerunt: porrò iſta ſententia iiſdem, quibus duas prægreſſas ſententias convulſimus, argumentis refelli potuit.

Pallas celeberrimus vermiculum ſeu animal de quo hìc agitur, Tæniam Hydatigenam nominat, hanc illius parentem ratus: ideò in hanc opinationem conceſſit, quòd tænia nova internodia gignit, et ſæpiùs excutit; tæniæ autem extra animalium inteſtina occaſio rariſſima eſt: hujus igitur vermis internodia, aliâ ratione nullâ quàm venarum bibularum abſorptione in varias corporis partes deferri potuiſſe, pro certo affirmari poteſt: ea eſt autem internodiorum magnitudo ut hoc fieri non poſſit, neque hydatides ex tæniæ ovis oriri concedi poteſt; hoc enim conceſſo, parenti tæniæ

niæ ſimilis neceſſariè foret proles; quod nemo certè affirmaverit.

Non deſunt, qui hydatidum cæterorumque vermiculorum, qui in animalium corporibus hoſpitantur, originem ſanguini circumfluo tribuunt: nonne aquam piſcium eiſdem innatantium, arboresque volucrum in eis nidulantium, generi, originem præbere æquè verisimile videtur?

Sunt etiam qui hydatides, aliosque vermes, qui animalium corpora habitant, putredine ſeu ſpontè generatos credunt: hæc autem notio, ſtabilitæ et immutabili Naturæ, quæ inutiliſſimi etiam vermiculi ortum cæco caſui non concredit, legi, quâ cavetur ut cuncta animalia eâdem ratione procrearentur, penitùs quidem adverſatur: Naturam igitur, quæ in omnibus ſapit, hìc aberrationis a ſacroſanctâ regulâ generationis ideò incuſare, quòd ejus operandi

operandi modus ſenſibus noſtris non percipitur, philoſopho indignum eſt.

Ad ſummum, omnes hydatidum aliorumque vermium quæ in animalium corporibus habitant, cauſæ hactenus prolatæ, pariter falſæ et ineptæ videntur.

Hæc de hydatidum ortu preſſiùs atque aſtrictiùs, præfatus, ad cauſarm uveriſimilium indaginem feſtinamus.

Hydatidis ſpeciem muſcæ cujuſdam quæ in ovium nares, ova ſua in ſinu frontali ponendi conſilio, irrepit prolem, reperire quotidianum eſt : ova muſcaria, humori pellucido innatantia, conſpiciuntur ; et hydatidis ſpecies, quæ grandeſcens nervum opticum comprimit, et gignitur : hinc ovis vertigine, quam agricolæ linguâ vernaculâ *ſtaggers* vocant, correptâ concidit.

Alia

Alia eſt muſcæ ſpecies quæ equorum genus inſectat, et occaſioni imminens in recto equi dejicientis aut mingentis inteſtino ova ſua parit.

Quo igitur vermiculorum animantibus extraneâ causâ genitorum exempla nobis ſuppetunt: pluraque quorum lumine hydatidum, cæterorumque vermium, quibus animalia intùs infeſtantur, ortus haud parùm colluſtrari puto, in medium, ſi harum pagellarum limites ſinerent, proferri poſſent: eiſdem verò diutiùs immorari nollem, quippe tyro, cui eorum occaſio rarior fuit: aliorum autem auctoritati innixus, hydatides cauſæ alicui externæ imputandas eſſe facilè adducor, ut credam.

Amicus qui ad hanc rem paulò incubuit, oves humilibus et paludoſis in agris paſtos, vitio, de quo agitur, eis, quæ in paſcuis celſis atque ſiccis paſcitant, longè opportuniores exiſtere, haud rarò obſervâſſe ſe credit.

Si hæc familiaris obſervatio vera ſit, nec dubito quin ſit, nonne aquam hydatides in animalium corpora vehere admodum veriſimile eſt? Hæc ſententia reputantibus piſcium genus ſæpiùs verminoſum, quàm terrena animalia exiſtere, haud improbabilis videtur; beſtiarum etiam ancipitum, ranarum putà pulmones, vermiculis ſæpe infeſtari, obſervatione conſtat.

Et ſanè mare magnum, fluvii, lacus, fontes, atque ſcaturigines omnes, animalculis et ovis ſcatent, ut microſcopio indagantibus demonſtratur; cùm aquæ igitur uſus omnium animantium communis eſt; nonnè illam vermiculos in animalium corpora vehere veriſimillimum eſt?

Porrò celeberr. SWAMMERDAM, Naturæ arcana explorando indefeſſus, aëra ipſum ovis, quæ igitur in pulmonem perpetuò hauriuntur, ſcatere microſcopio ſuo invenit.

Complura

Complura animalculorum ovorumque aliquà in ventriculum et inteſtina receptorum, ibidemque, quamvis vi ſucci gaſtrici deletrici, inſolito caloris gradui, perpetuoque inteſtinorum motui, objiciantur, nidulantium exempla literis mandantur : nulla quidem animalia, tæniæ, lumbrico, aut hydatidi, ſimilia, extra animalium corpora naturaliter exiſtentia, nobis cognita eſſe fateamur oportet; eadem tamen causâ extraneâ originem ducere, inter multos jam conſtat.

Sententiæ jamjam prolatæ objici poteſt, quòd hydatides in imis etiam corporis penetralibus, perrarò autem in canali alimentario, aliorum vermiculorum inſtar, reperiantur ; huic autem difficultati, hydatidum ova venis bibulis abſorpta, illuc vehi, reſponderi poteſt.

CAP.

CAP. III.

DE VALETUDINE HYDATIDIBUS ORTA.

QUAMVIS hydatidum natura et cauſa parùm certæ nobis videantur; vis tamen morbida, non item, hydatides in cerebro, quà ſæpe quidem hoſpitantur; morbosque moleſtiſſimos, vertiginem, nimirùm, ſuffuſionem DANAES SAUVAGINI, ſtuporem, delirium, paralyſin, vomitionem, pupillæ amplificationem, tremoremque, facere queant: quinetiam viſcus illud nobile, irritando aut comprimendo, phrenitiden, apoplexiam, hydrocephalum internum, morbum comitialem, imò maniam, concitare poſſunt; ejusque munera ſæpiùs atque plus turbare quàm medici ſuſpicantur, facilè ideò crediderim, quod ovibus aliisque quadrupediis, vertiginem, aliaque dira mala, inferunt.

Plurimà

Plurima quidèm quæ hujus rei fidem faciunt, documenta nobis ſuppetunt; unum tantùm exemplum, a cel. WEPFER decerptum, narrabimus: Pecus cornigerum armenta, præſertìm hydatidibus cephalicis, in Helvetiâ, inſigniter opportuna exiſtere; a chirurgo fide digno, ſe certiorem factum eſſe refert: Prima mali indicia ſunt, vertigo et ſtupor: hoc percepto, armentarii animalis occiput, pone cornua malleolo, feriunt, ut ſono peculiari et inſolito diſcernant, cavernulæ intùs ſubſint necne: ſi res ipſa ita ſe habere videatur, partem terebrâ illicò pertundunt; fiſtulâque per foramen admiſsâ in cavum, hydatides, ſi in cerebri ſuperficie fortè nidilantur, exſugunt; et ſic morbo interdum medetur: quòd ſi hydatides ſedem ſuam figant in cerebri penetralibus, vel adeò profundè ut exſugi nequeant, animal occiditur.

Idem chirurgus complura armenta terebratione jam dictâ ſæpe ſanata fuiſſe, eidem vi-

ro celeb. confirmavit. WEPFER ipſe inſignem hydatidum copiam bovi, vertigine atque ſtupore laboranti, eâdem arte exſuctam vidiſſe ſe narrat; hìc, perſtante vertigine, bos necatus eſt: compluresque hydatides in cerebri ventriculis compertæ ſunt.

Hydatides in pulmone, hydrothoracem, nidulantes, pneumoniam cunctaque mala quibus ſpiramentum animæ patet, concitare queant; phthiſin proclivibus non ſolùm facere, ſed etiam mali curſum feſtinare, omniaque ſymptomata graviora reddere poſſunt. Generoſus, mecum, ægrotantis, cui hydatides pneumoniæ indicia excitârunt, hiſtoriam nuper communicavit: æger magnâ ſpirandi difficultate, obtuſo lateris dextri dolore, tuſſique frequente, laborabat; arteriæque ſolito frequentiùs micabant: Chirurgus arceſſitus, ſanguinem incisâ venâ miſit; ægritudine nil indè levatâ, remedium iteravit, at ſymptomāta

tamen

tamen nihil remiſerant: ſic fruſtratus, invalitudinem diuturniorem eſſe quàm primo putarât, et vomicam ſubeſſe ratus, thoracem ſolito more terebravit: nulla autem neque vomica neque adhæſio inventa eſt; pulmonarius paucis poſt diebus tuſſi vehementiori correptus, binas ternasve hydatides excreavit; exinde meliuſculè indies ſe habere cœpit, tandemque penitùs convaluit.

Mulieris quæ hydatides haud minùs cxxxv ſpatio quinquemeſtri excreavit, hiſtoria in Actis Medicis memoriæ proditur; veſiculæ, quæ vermiculos habebant, excreatione ſemper diſruptæ, ejiciebantur: Hæc ægra quadriennium ante hydatidum expulſionem ægrotare cœpit; primò, animum demiſſum inſignemque difficultatem ſpiritûs querebatur: hæc ſigna levis talorum tumor, qui brevi evanuit, excipiebat; quàrto ab ægritudine anno, tuſſi gravi, ingentique ſpirandi difficultate

tate, fatigata eſt, magnamque pituitæ tenacis vim ſubindè excreabat; hæc valetudo perſtitit uſquequò hydatides excreare cœperit; et quinquemeſtri ſpatio, ingenti numero ſuprà memorato ſe expedivit.

Morgagni literis mandavit exemplum in quo hydatides pericardio et cordi etiam pendulæ adhærebant: graviſſima ſymptomata, animi, putà, deliquia, palpitatio cordis, ingens præcordiorum anxietas, et etiam mors improviſa et inopinata, originem ex hoc vitio ducere queant.

Quamvis hydatides ſæpe in capitis et thoracis viſceribus nidos ſuos fingunt et conſtruunt, in abdomine tamen, hepate imprimis, quinquagies frequentiùs quàm alibi corporis reperiuntur. Mirum hepatis in acervum hydatidum immanem degenerati exemplum, cel. Ruysch literis mandavit: Hujus viſceris in-

ciſi

cisi penetralibus, abdominisque parietibus, adhærentes compertæ fuerant. Chirurgus, arte suâ rudis, morbum hydrothoracem hallucinatus, paracentesin commendavit. Ruysch intereà accersebatur; sed ob valetudinem prodire non potuit: chirurgus autem haud diutiùs moratus, dextra ægri hypochondria pertusit: ingens hydatidum vis illicò, e latere erupuit: chirurgus attonitus panniculum vulneri adhibuit: æger autem pòst paulò mortuus est.

Hydatides diaphragmati, lieni, aliisque abdominis visceribus, sæpissimè adhæresçunt; et ascitæ ansam non rarò præbent.

Le Cat pertinacem intestinorum affectionem memorat, quæ haud antè sanata est, quàm hydatidum vis dejecta fuerat.

In opere cui titulus, "Transactions for improving Medical Knowledge," hominis uri-

næ ſuppreſſione, hydatidibus ortâ, ſubitò necati, exemplum memoriæ proditur : Æger quatuor vel quinque hebdomodas dolorem, plùs minùs gravem, et urinæ difficultatem, querebatur; quæ ipſe calculo ſeu arenæ, famulantes verò vitio cuidam venereo, tribuerunt : chirurgus qui valetudinem dignoſcendi atque regendi causâ arceſſebatur, membrum genitale ſcrutatus, nullo luis venereæ indicio invento, phymoſin naturalem reperit; interroganti de urinæ difficultate, æger, ſe gravi dolore diu affectum fuiſſe, jam verò urina invitè reddita, meliuſculè ſibi eſſe reſpondet : per hanc interrogantiunculam in lecto ſedere poterat : horâ autem exinde lapsâ, ſe movere conatus, improvisâ vi lethi raptuseſt.

Cadavere inciſo, nihil præter naturam in cerebro aut thoracis viſceribus inventum eſt. Tumor abdominis inſignis aderat, immani veſicæ mole effectus, quæ octo ſaltem pollices

ſupra

ſupra oſſa pubis fundo, tres tantùm digitos latos a coli arcu diſtante, aſcendebat, urinâ emiſſâ quinque vel ſex libras æquabat: magnus veſicæ collum inter et inteſtinum rectum tumor, qui hoc penitùs implevit; illamque ſurſùm truſit, partem abdominis anticam verſus inventus eſt; eodem inciſo, magna aquæ hydatidumque vis erupuit: alii, etiam præter hunc, tumores, qui hydatides intùs habebant, ad veſicæ collum extitere.

CURATIO.

Ubi morbi cujuſvis ſedes et ſigna, quibus ab aliis affectionibus ſecernatur, manifeſta ſunt, medendi conſilia ſponte quaſi indicantur. In malo autem de quo agitur, res longè aliter ſe habere lugendum eſt; nulla enim ferè indicia ſunt, quibus hydatides exiſtere cognoſci poſſunt. At nihilò tamen minùs medici duas curandi rationes, artem nimirùm chirurgi-

çam,

cam, et auxilia his vermibus delendis idonea, ſtatuunt: horum autem remediorum, illud non ſolùm periculoſum verùm etiam difficillimum eſt; huic igitur in omnibus ferè exemplis quæ hydatidibus pendere medico videantur, ſoli forſan fidendum eſt.

Omnibus remediis quæ hydatides delendi vi pollent, hydrargyrus palmam præcipere videtur. Exemplum in opere cui titulus "Medi-" cal Tranſactions, vol. 2." habemus, quod, aliis medicamentis fruſtrà adhibitis, hydrargyro muriato miti ſanatum fuit. Unguentum autem huic propoſito, accomodatiùs mihi videtur.

Jamque penſum hoc academicum, quamlibet mancum, ad umbilicum duximus: Quis eſt autem, qui in tantis tenebris nihil offendat?

FINIS.

Med Hist
W4
E23
1800
R.1